Fragmentarium

UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK LEIPZIG

Fragm. Lat. 111

manifestavit. Iis finitis quod etiam ad missam
eius pallas vertebant et de manu eorum
reliquias contingebant. Clodoveus rex
Francie nec tunc gentilis erat, nec ab
uxore sua christianissima converti poterat. Ut
tamen quod infinitus exercitus alamannorum
super se venisset, voto deo quem uxor sua co-
lebat, promisit quod si de alamannis vic-
toriam sibi concederet, mox fidem
eius reciperet quod factum est. Cumque ad fontem
baptismatis advenisset et ibidem sanctum
crisma haberent, ecce columba quondam
ampullam cum crismate in rostro detulit
de qua regem pontifex linivit. Hec
autem ampulla in ecclesia remensi conservatur
et inde hodie reges Francie inunguntur.
Tandem remigius multis clarus virtu-
tibus quievit. **Dyonisii martiris**

Dyonisius ariopagita dictus a vico
civitatis quem sibi excellentior quo ibi
erat curia nobilium et scole liberalium ar-
cium. In hoc vico morabatur dyonisius
maximus philosophus. In die vero passionis
domini cum tenebre facte fuissent super uni-
versam terram, philosophi athenis non
potuerunt huiusmodi causam in libris eorum
naturalibus invenire. Non enim fuit natu-
ralis eclipsis quia sol; sed in opposito solis et
lune. Luna enim erat tunc xv^a et plurimum dis-
tantia a sole. Aut tamen dixerunt. Aut
ordo nature [illegible] quod apostolus dixit. Hec
nox quam novam expectamus totius mundi no-
vam lucem adventuram significat. Tunc
athenienses illi deo aram construxerunt et
supposuerunt titulis ignoto deo. Singulis aris
indicantes titulum in cuius essent nomine dicate
et cui vellent offerre holocaustum, dixerunt
Bonorum virorum non eget, sed faciens genu-
flexiones ante aram eius et supplicationes quia
non querit oblationes pecorum sed devotiones ani-
marum. Cum vero paulus venisset athenis
et inter cetera ignoti dei aram vidisset dixit

philosophis: Quem ignorantes colitis hunc ego
annuncio vobis verum deum qui fecit celum
et terram et omnia que in eis sunt. Deinde dixit dyonisio
quem ceteris indubitanter preeminebat: Quis
est iste deus ignotus? Cui dyonisius: Ipse est
verus deus qui inter deos non est demonstratus sed nobis
incognitus et seculo futuro venturus et in perpetuum
regnaturus. Et paulus: Homo an spiritus est? Dyonisius:
Deus et homo et ideo incognitus quia [illegible]
est. Cui paulus: Hic est quem predico qui de celo
descendit carnem suscepit mortem
sustinuit tertia die surrexit. Cumque
dyonisius adhuc disputaret, forte transiit
cecus coram eis. Statim dixit dyonisius paulo:
Si dixeris huic ceco in nomine dei tui vide
et videbit et statim credam. Sed ne verba
magica noveris que habent huiusmodi efficaciam
ego tibi formam verborum scribam scilicet: Dicas
in nomine ihesu christi nati de virgine crucifixi
mortui qui et surrexit et ad celum
ascendit videas. Et omnis suspicio tollitur.
Hec paulus precepit. Cum hec dyonisius verba
proferret, protinus cecus visum recepit. Dyonisius autem
statim cum damaris uxore sua baptizatus
est. Sicque a paulo per triennium edoctus
athenis episcopus est ordinatus. Ubi predicationi
insistens ipsam civitatem et maximam
partem regionis ad fidem convertit.
Dormicioni beate virginis marie interfuit
sicut ipse in libro de divinis nominibus
presumere videtur. Cum vero audisset rome
detineri [illegible] in carceribus
visitandos accessit. Verum cum ipsi ad dominum
feliciter migrassent, Clemens eum
parisius misit et rusticus et eleutherius
sibi sociantur. Cumque ibi multas diversi
ordinis collocavit et multos ad fidem
convertit. Tanta in eo gratia celestis erat
cum quod sepius pontifices ydolorum et alii
cum armis occurrerunt. Mox illo viso
omni feritate deposita et presentiam
fugiebant, provolutis genibus veniam

License: cc-by-nc – Leipzig, Universitätsbibliothek, Fragm. lat. 111, 2v – Jacobus de Voragine, Legenda aurea
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-2e0w/215/2912)